Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

noctium sequentes eiusdem dominice resurrectionis convenientes potest habere sollempniis. Quid inter pascha et azima distet. LXIII.

Et quoniam de pasche observatione aliquanta perstrinximus, etiam hoc intimare placuit quod iuxta legis scripturam alia pasche, alia sollempnitas est azimorum. Una quippe dies pasche, id est transitus, est XIIII. videlicet primi mensis in qua vesperascente agnus immolari iussus est, et mox sequenti nocte transivit dominus egyptiorum primogenita percutiens, et signatas agni sanguine domus filiorum israel liberans. Sequentes vero dies VII. id est a XV. usque ad XXI. eiusdem mensis azimorum proprie vocantur. Scriptum namque est in exodo, ubi agnus immolari XIIII. die primi mensis ad vesperam mandatur: Et comedetis festinantes. Est enim phase id est transitus domini. Et transibo per terram egypti nocte illa percutiamque omne primogenitum in terra egypti. Et paulo post: Et cum dixerint vobis filii vestri que est ista religio, dicetis: Victima transitus domini est quando transivit super domus filiorum israel in egypto percutiens egyptios et domus nostras liberans. Item in levitico: Mense primo inquit XIIII. die mensis ad vesperam phase domini est, et XV. die mensis huius sollempnitas azimorum domini est. Septem diebus azima comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque. Omne opus servile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne domino septem diebus. Et ne nos quispiam verba legis aliter quam veritas habet intellexisse autumet, videat doctissimus legalium litterarum et sacerdos quid de his sentiat iosephus. Scribit in libro antiquitatum in hunc modum: XIIII. luna primi mensis agnus immolatur: XV. autem luna succedit festivitas azimorum que septem diebus celebratur. Secundo vero azimorum die que est XVI. frugum primicias quas metunt offerunt. Quem legalium morem sacrorum etiam nunc ecclesie consuetudo non ignobiliter imitatur. Unam videlicet noctem transitus dominici, id est resurrectionis eius a mortuis, qua impios triumphando fideles servare dignatus est, principaliter observans, in cuius exortu sanguis ipsius videlicet agni inmaculati populum eius in fonte regenerationis ablutum mundat ab omni peccato. ac deinde